313
311
317
307
322
302
362
262
412
212

navibus in praecedenti anno, quae coactae tempestatibus continuis manserunt ibi XXXI diebus, nec poterant movere se de isto ergastulo ad mare propter ventos contrarios.

Quia autem haec dies erat mihi celeberrima, tum propter sponsae meae festum, tum etiam propter anniversarium solemne, quod solitus illo die sum peragere, quia eo die ingressus Praedicatorum ordinem sum et anno revoluto professus, cogitavi diem illum cum honesto gaudio deducere. Descendi ergo de galea in barcam et duci me jussi in galeam domini Bernhardi Conterini, in qua erant domini peregrini tertiae societatis, ad quos cum venissem, cum magno gaudio me receperunt; reperi autem dominum Heinricum de Schomburg, militem mihi carissimum, febricitantem, qui juramento affirmavit, quod ad ingressum meum reliquisset eum febris. Scio enim, militem istum magno corde mihi affectum, et ita propter inopinatam transmutationem melius habuit in meo aspectu. Illa die multa nova audivi de Venetiis in illa galea, quae nos in nostra ignoravimus. Inter alia dictum fuit, quod palatium Ducis Venetorum esset combustum per traditores Ducis Ferrariensis, cum quo tunc stabant Venetiani in differentia. Cum autem sero factum esset, navigio redii in galeam meam, in coena autem absque deliberatione dixi circumsedentibus audita nova de exustione palatii Ducis; statim unus verba ex ore meo rapuit et ascendens in castellum dominis capitaneo classis et patrono et consulibus, ac galeae gubernatoribus quae dixeram retulit, quae illi audientes per nuntium vocaverunt me ad se et cum indignatione increpaverunt me, cur talia auderem dicere, nec volebant excusationes meas audire, sed duris verbis affecere (et) abire jusserunt. Si fuissem saecularis, credo, quod me in poenam aut extra galeam in terram exposuissent et a classe ejecissent, aut tormentis tribulassent, vel forte nec sic mihi pepercissent, si non fuisset verum, quod dixeram, sciebant autem, rem esse ita, sed celabant. In facto illo didici, non esse prudenter actum, imo periculosum, recitare primo nova audita, praecipue quando sunt turbativa.

Ende

Anfang

Vicesima septima die mutatus est ventus, et levatis anchoris et solutis navibus de portu illo in crepusculo egressi sumus, sed quam cito sol ascendit, ventus ille inutilis rediit, et ferebamur extra Cycladas quidem, sed intrare mare Maleaticum, ad quod tendebamus, non voluimus, pellente nos vento altius contra septem-

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;